

DE VILLA NOVA

PHILOSOPHI ET MEDICI EXCELLENTISSIMI LIBER

*dictus Thesaurus thesaurorum, & Rosarium Philosophorum, ac omnium secretorum maximum Secretum, de**verissima compositione naturalis Philosophiæ, qua**omne diminutum reducitur ad Solificum**& Lunificum.*

P R O O E M I Ū M.



S T E namque Liber vocatur Rosarium: quod ex libris Philosophorum abbreviatus: in quo, Deo teste nihil occultum, nihil deuium, nihil diminutum est: sed quicquid est necessarium ad nostri Operis complementum, est in ipso. Diuiditur autē iste liber in Theoricam & Practicam: & etiam in diuersa capitula. Quippe quia iustum est de naturali & sublimiori rerum processu non pigeat, qui de eorum sublimiori effectu tractare voluerit. Tunc enim supplicium naturæ beatæ, & naturali quale procedit intentio, cum & ipsius studij precium securius spectat, & ad arcanam rationis seriem, in illo declinare paratus est. Nullus negligat finalem, præcipuam totius Philosophiæ matrem ab editis effodere, quæ hominem ornat moribus, & ditat beneficijs, auxiliatur pauperi, & etiã corpus incolume sanat, & præbet etiam sanitatem. Qui enim in legendis libris deses extiterit, in præparandis rebus promptus esse non poterit. Liber namque librum aperit, & serm sermone explicat: quia quod in vno est diminutum, in alio est completum. Non enim potest in Practicam bene assuescere, cuius mens in Theorica renuit desudare: quoniam procedit ad Practicam, sicut asinus ad cœnam, ignorans quomodo, & ad quid porrigat rostrum & os. Istum autem librum nominavi Rosariũ, eò quod ipsum abbreviaui ex libris Philosophorum quantum potui melius, & in diuersa diuisi capitula.

*Super
pag. 55.*